

vero quia non fecit, in mille spinas et tribulos incidit. Multi sane juvenes, multæ puellæ et matronæ similibus suasionibus inescantur, quia nimium leves et credulæ sunt: quasi multum boni consecuturæ sint, si pudicitiam suam tentantibus dividant; sed miseræ, quid inde referunt, nisi vulnera conscientie urentia, confusionem et ignominiam, bonorum omnium dispendium? Imitentur igitur potius adolescentem illum Joseph, qui a domina ad scelus sollicitatus, rem melius examinavit dicens: *Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum?* Gen. XXXIX. Quomodo fiet istud, ut peccem adeo in Deum, me ipsum, parentes, fratres, proximos?

V. Votum, aut firmum propositum pudicitie conservandæ. Vovisse enim Deiparam virginitatem colligunt ss. pp. aperte ex hoc, quod subjungit: *Quoniam virum non cognosco.* Sic enim et religiosi Carthusiani dicerent: Nos carnibus non vescimur: et nos Christiani dicimus: Falsos deos non adoramus. Votum autem hoc æternum et fixum fuisse facile colligimus: si enim cum tantus ei promitteretur filius, Deus scilicet ipse, a virginitate dimoveri noluit, sed eam sibi salvam reservari voluit: quibus quæso machinis aut blanditiis flecti ab hominibus potuisset? Nonne si puella antiqua obscuris natalibus regis conjugium sibi oblatum respuat, recte colliges, eam ad conjugium ineundum nunquam inducendam. Discant hic virginæ, imo et viduæ ac conjugatæ, quantopere custodire debeant castitatem suam. Nam si Virgo Maria tanta proposita dignitate, noluit in legitimum thorum assentire, num promovendam fuisse putatis, ut consentiret in stuprum vel adulterium? Firmum igitur propugnaculum omnes castitatis servandæ ædificent, propositum scilicet immobile: virginæ quidem et viduæ, ut antequam legitime contrahant, nullum se agnoscere quidem virum velint; conjugatæ vero ut præter maritos proprios agnoscant nullum. Dicant omnes: *Quoniam virum non cognosco.* Inspiciant exemplum Quadratæ illius puellæ Florentinæ, quæ ab Otthone IV. imp. tum Florentiæ degente ad deosculandum expetita, respondit: *Nullius me hercle, quam ejus quem maritum habiturum suavius recipiam.* Placuit ea vox principi, et puella Guidoni Germano viro inelyto in matrimonium data est, Fulg. l. VI. c. I.

Atque hæc sunt, quæ promissimus propugnacula castitatis et pudicitie, a SS. Trinitate in Deipara ædificata ad tuendam ejus virginitatem, necnon ad instructionem nostram: *Habemus thesaurum istud (castitatis) in vasis fictilibus,* ait apostolus, II. Cor. IV. idcirco caute gestandum. S. Hier. ep. CXL. ad Principiam ait, virginæ a gen-

tilibus fingi solere armatas, propterea quod virginitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Idem dico de castitate conjugum et viduarum, quæ suos etiam hostes habent. Tueatur unusquisque murum et thesaurum suum hujusmodi propugnaculis, ut suæ castitatis lauream capiat in cælo.

CONCIO VIII.

VIRGINITAS DEIPARÆ ANTE, IN, ET POST PARTUM OSTENDITUR.

I. Virgo in conceptu. — II. In partu. — III. Post partum.

THEMA.

Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. I.

Ingentia prodigia contigerunt isto die, auditores. Quæ enim olim Hebræis magnalia Dei monstrata fuerunt, hodie repetita sunt: imo quæ illis per imagines et figuras delineata fuerunt, hodie reipsa demonstrata sunt. Hodie enim Adam de terra virgine, ut S. Ambrosius, serm. XXXVII. de quadrag. loquitur, hoc est, nondum proscissa formatus est, quia Christus matre virgine procreatus: hodie rubus ardens, sed incombustus visus est, quia ignem illum alioqui consumentem, Deut. IV. Deum concepit Maria salvo integritatis virgineæ virore: hodie lex divina scripta est, sine graphio, ut ait S. August. serm. XIV. de natali in tabula lapidea solo Dei digito, quia sola operatione Spiritus sancti concepit Virgo Christum: hodie: *Virga Aaron annis siccata plurimis, sine aqua revixit, in templo floruit, nuces producit,* inquit S. August. loco cit. quia femina absque omni cultura humana filium concepit: hodie descendit ros in vellus Gedeonis area circumjacente prorsus nihil perfusa, quia Verbum Dei ita in uterum virginis descendit, ut claustra virginitatis ejus intacta permanerent: hodie: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdedit virum,* quia sola virgo sine viro concepit Christum, qui adhuc in utero matris virili perfectione non caruit: hodie lapis abscissus est de monte sine manibus, quia lapis angularis Christus sine virili opera de purissimo virginis sanguine formatus est: denique, hodie signum illud Achabo datum contingit, dum Virgo concepit Filium. Verum sunt nonnulli de Calvini secta, qui his prodigiis fidem abnuunt, quibus proinde hæc veritas pluribus adstruenda est.

I. Virgo fuit in conceptu. Probatur primo, ex

hodierno evangelio, ubi habemus, eam absque viri complexu opera tantum Spiritus sancti supra naturam concepisse, adeoque illæsa virginitate quam sibi salvam reservaverat Deipara. Rursum, Matth. cap. ubi Josepho ait angelus: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est,* subditque prædictionem hujus rei per Isaiam, cap. VII. *Ut impletur, inquit, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et orietur Filium, etc.* Qui vel solus Isaiæ locus huic rei comprobandæ sufficere potest. Ibi enim ponitur vox *alma*, quæ Hebræis virginem significat, præsertim si cum articulo *ha* ponitur, uti fit ibi. Neque dicat Calvinus, prædici quidem virginem parituram, sed in sensu diviso scilicet post copulam, quia refellit hoc imprimis Matthæus loco citato dicens: Quod in ea natus est, non de viro,

Spiritu sancto esse. Deinde, ipse contextus Isaiæ, qui conceptum et partum illum virginis adducit pro prodigio a Deo statuendo: *Propter hoc, inquit, dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, etc.* Quale autem hoc esset signum vel prodigium, quod virgo jam corrupta conciperet? His accedunt vaticinia prophetarum hoc idem symbolice prædicentia, uti illud Psalm. XVII. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quemadmodum enim ros in vellus Gedeonis placidissime summo silentio descendit: ita Dei Filius et absque strepitu, seu læsione virginei uteri in eum descendit.

Secundo, ex vaticiniis Sybillarum et gentilium, quia enim virginitas fecunda miraculum est longe maximum, idcirco etiam gentilibus id modo aliquo demonstrare voluit, imprimis per Sybillas, in quibus Phrygia ita canit:

*Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, cum nuntiat angelus almæ
Matri, quæ miseris contracta sorde levabit.*

Cumana item apud Virgil. ecloga IV.

*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia sæcla,
Jam nova progenies cælo demittitur alto.*

Clara Deum soboles, magnum Jovis incrementum, etc.

Tametsi hoc vaticinium Virgilius ad Asinium Romani consulis filium poetico et adulatorio stylo detorsit: sane id ad Christum pertinere non solum animadvertit S. August. lib. X. de civit. c. XXVII. et Constantinus M. orat. ad s. cœtum, verum etiam gentiles illi Christianorum hostes, Secundianus vir eloquentissimus præfecti assessor, Marcellianus orator, et Verianus pictor, qui eo lecto et expenso, non tantum fidem christianam amplexi sunt, verum etiam pro eadem, sub

Decio imperatore illustre martyrium subierunt, apud Surium, 9. augusti.

Deinde, scribit Pæulus diaconus, Sigebertus, D. Thomas, II. II. q. II. a. VII. et alii Constantini et Irenes tempore inventum esse sepulcrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, cum hac inscriptione: *Christus nascetur ex virgine, et ego credo in eum; o sol, sub Irene Constantini temporibus iterum me videbis.* Carnuæ item in Gallia Druides sapientiæ claræ, aram dedicarunt virgini parituræ ubi nunc magnifica Deiparæ basilica extracta est: Ægyptii item ante Christi adventum virginem in lecto et infantem in præsepio collocare, et adorare consueverunt, quia ex Jeremia, qui apud eos exularat audissent, ruitura eorum simulacra, cum virgo infantem enixa, cum eo ingressura esset Ægyptum quæ videri possunt apud Canisium, l. II. de p. virg. capite XVII.

Tertio, ex naturalibus exemplis animalium, quæ absque sensus commixtione procreant, adeoque suadent neququam impossibilem esse virginis fecunditatem. Hujusmodi enim sunt imprimis apes, quæ absque concubitu multiplicantur, teste Virgil. lib. IV. Georgicorum. Deinde, vultures, de quibus Ambros. l. V. hexam. c. X. scribit: *Impossibile putatur in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit, et nullus refellit; et quia viro desponsata Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem.* Rursum, S. August. lib. XXI. de civit. c. V. in Cappadocia, inquit, *perhibent ventos aquas concipere.* Quos etiam testatur Solinus, Columella et alii. Similiter: *Concha solo cælesti rore perfusa margaritam gignit,* ait S. Hieron. ep. XXII. et S. Ambros. in Ps. XXI. *Vermis, inquit, nulla extrinsecus admixtione alieni corporis sed de sola et pura terra procreatur; ideo illum comparatum Domino (puto) quoniam et ipse Salvator de sola et pura Maria generatur.* Cum ergo talis conceptio non sit impossibilis, ex alia etiam parte maxime decuerit, ut conceptio Salvatoris prorsus intemerata et sancta esset, ut alias vidimus, quis eam Virgini negare ausit?

Quarto, ex congruentiis, quæ ostendunt, omnino decuisse, ut Dei Filium non nisi virgo conciperet et pareret. Prima stat, ex parte Patris, quia non decebat ut Christus præter Patrem cælestem haberet alium terrestrem: secunda, ex parte Filii, quia est Verbum Patris; Verbum enim in corde concipitur, absque omni ejus corruptione: tertia, ex parte carnis Christi quæ necessario contraxisset peccatum originale, si ex concubitu prægnata fuisset, teste S. August. lib. de nuptiis et concupiscentia.

II. Virgo fuit in partu. Probatur primo, ex Isaia loco supra cit. qui ait : *Ecce virgo concipiet et pariet filium.*

Secundo, ex sermone quodam Concilii Ephesini, in quo dicitur : *Gratia et parientem Dei Matrem fuit et virginitati non nociva fuit.*

Tertio, ex miraculo, quo ostenditur clauso matris utero Christum nasci potuisse. Refert enim S. Aug. lib. XXII. de civit. c. VIII. de patronis clarissima femina, quæ ex desperato morbo precibus S. Stephani sanata fuit. Cum enim pro remedio annulum superstitiosum a Judæo prius accepisset, quem capillitiæ zonæ insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, pergente illa ad S. Stephanum annulus integer, integra et illæsa zona ad pedes ejus exsiliit : quod miraculum ipsa futuræ salutis pignus accepit : *Non credunt hoc, inquit, S. August. qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt, sed hoc certe quærant, et si hoc invenerint, credant; clarissima femina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, etc.*

Quarto, ex similibus : « Solis radius speculum penetrat (inquit S. August. serm. III. de adventu,) et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit, etc. Speculum ergo non rumpit radius solis, integritatem Virginis ingressus aut regressus numquid vitare potuit deitatis? » Quo pertinet vaticinium Isaia, c. LXII. *Non quiescam donec egrediatur ut splendor justus ejus, ut lampas accendatur.* Ut enim splendor luminis transit per fenestram sine ejus læsione, prodit etiam a sole, sine solaris orbis corruptione, et lampas accenditur ex admoto igne sine detrimento luminis ejus : ita Christus ex Virgine ortus est. Et S. Ambrosius, ep. LXXXI. ad Siricium papam ait : *Non excedit fidem, quod homo exivit de virgine, quando petra fontem profluum scaturivit, etc.* Rursum germen et fructus prodit ex arbore, absque ejus divisione vel læsione. Sic a virgine Christus : unde Isaia, cap. XLV. dicitur : *Aperiat terra et germinet Salvatorem.*

Quinto, ex congruentiis. Primo enim, si verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam ex corde procedit, decebat ut Verbum Dei etiam nasceretur absque ulla læsione matris : secundo, quia Christus venerat, ut nostram corruptionem tolleret ; ergo non decebat, ut aliquid corrumperet, præsertim integritatem matris. Unde S. Augustinus, in serm. de nativitate Domini apud D. Thomam, III. p. q. XXVIII. a. II. ait : *Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta.*

III. Virgo mansit post partum. Probatur pri-

mo, ex cap. XXIV. Ezech. ubi de B. Virgine ita vaticinatur : *Convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa, et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi : princeps ipse sedebit in ea.* Quem locum de virginitate Deiparæ, maxime post partum, intellexit S. Hier. in comment. super Ezechielem ; S. Ambros. in lib. de instit. virg. c. VIII. S. Aug. serm. II. de nativitate Domini, et alii. Clausa igitur erat porta omnibus, quia nemo unquam cum Deipara carnis commercium habuit. Soli Dei Filio reservata erat in habitaculum novem mensium : sed ita, ut ipsi clausa esset, quia per uterum Virginis clausum mirabiliter egressus est. Nec sine mysterio ter repetitur esse clausa, quia scilicet virgo erat ante, in et post partum. Quare detestandus est Helvidius, qui dicebat Dei Matrem post partum a Joseph filios obtinuisse.

Secundo, rationibus. Primo, id congruebat dignitati, et perfectioni Christi, quia sicut Unigenitus et Patris, ita decebat ut esset unigenitus et matris.

Secundo, uterus Virginis sacrarium fuit Spiritus sancti. Non decebat igitur, ut ab homine violaretur.

Tertio, ingratiissima fuisset Deipara, si tanto Filio contenta non fuisset : et si virginitatem tanto miraculo sibi conservatam, sponte perdere voluisset.

Quarto, ipse S. Joseph a temeritatis nota immunis non esset, si eam, quam a Spiritu sancto concepisse intellexerat per angelum, violare ausus fuisset.

Nec juvat Helvidium, quod dicitur, Matth. II. *Antequam convenirent (Joseph et Maria) inventa est in utero habens : et paulo post : Non agnoscebat eam (Joseph) donec peperit filium suum primogenitum,* quasi illæ tres voces *antequam, donec et primogenitum* insinuarent virginem plures sustulisse liberos. Nam prima illa vox *antequam* usurpari etiam solet, cum nihil sequitur, v. g. cum dicimus : *Judex tulit sententiam, antequam cognosceret causam.* Non sequitur enim, quod cognoverit causam postea. Altera vox *donec,* quandoque significat infinitum tempus : sic Gen. VIII. dicitur *corvus non reversus : Donec siccarentur aquæ,* qui tamen nunquam fuit reversus. Rursum, *Deus Pater dicit Filio : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* sedebit autem æternum. Tertia vox *primogeniti,* significat hic filium, antequam nullus erat natus tametsi ille erat unicus. Idem ergo est hic,

quod unigenitus. Quilibet enim unigenitus gaudet jure primogenituræ ; adeoque erat etiam primogenitus, licet nullos haberet fratres.

Ad extremum contra obtrectatores hæreticos voluit Deus triplicem hanc Deiparæ virginitatem miraculo illustrare. In vita namque S. Ægidii socii S. Francisci narratur 23. aprilis, quemdam doctorem ordinis S. Dominici dubitantem de virginitate Deiparæ contigisse hac de re consulere S. Ægidium ; cumque eminus eum videret C. Ægidius prævenit, terramque pulsans dixit : *Frater prædicator, sancta Deipara Maria virgo est ante partum* ; statimque ut hæc dixit, pulcherrimum ibi exortum est lilium ; iterum, percusso humo repetit : *Frater prædicator sancta Maria Virgo est in partu ;* et confestim secundum exortum est lilium : tertio, feriens baculo terram : *Frater, inquit, conciator, sancta Maria virgo est post partum,* simulque tertium extitit lilium, candoris et speciei admirandæ. Ita prædicatori illi exemit omnem scrupulum.

Superest nunc, ut cum Ecclesia exclamemus : *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia, quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

CONCIO IX.

CIRCUMSTANTIÆ LEGATIONIS ANGELICÆ.

I. Quando facta hæc legatio? — II. Per quem facta? — III. Quorsum? — IV. Ad quem?

THEMA.

Missus est angelus Gabriel in civitatem Galilææ.

Luc. I.

Genes. VIII. legimus Noen, postquam imminutæ sunt aquæ diluvii, emisisse columbam, quæ ad vesperam rediens ad arcam, tulit ore ramum olivæ virentibus foliis, ex quo collegit Noe siccitam esse terram, et cessasse aquas diluvii. Representavit hoc diluvium justissimam Dei iram, qua humanum genus post lapsum primorum parentum punivit, et in peccatis suis mersit. Sed hodie emisit Deus columbam, angelum inquam e cælo, qui ramum olivæ viventibus foliis, id est, pacis et reconciliationis verba in ore gestans, mundo annuntiavit gratiam, misericordiam, redemptionem. Non est facta, neque fiet talis legatio ab orbe condito usque ad ejus interitum. Qui enim legatum mittit, Deus est : legatus archangelorum princeps est : negotium tractandum pax est inter cælum et terram.

I. Quando facta est hæc legatio? In mense sexto a conceptu Joannis, qui erat martius, die 25. qui erat Veneris, ut tenet Ecclesia cum S. August. I. IV. de Trinit. c. V. et aliis.

Primo, tempore verno ; quia tunc incipiunt omnia virere et florere, ac quodammodo reviviscere, quemadmodum in adventu Christi revixit mundus et vestitus est novis gratiæ, virtutum, legum, sacramentorum, cæremoniarum, sacrificiorum floribus. Contra Joannes Baptista in autumno conceptus est, quando collectioni frugum finis imponitur, et terra atque arbores virore suo spoliantur, quia cum Joanne lex vetus, cujus ille typus est, interire cœpit.

Secundo, in æquinoctio verno, quia tunc incipiunt dies esse majores noctibus : ad indicandum, quod per adventum Christi lux vera, id est, cognitio veri Dei majora in dies incrementa sumptura esset : Joannes vero typus synagogæ et sapientiæ mundi in æquinoctio autumnali conceptus est, a quo incipiunt dies breviores fieri noctibus, quia tunc decrescere incipit lux synagogæ, et philosophia mundana. In eodem æquinoctio verno mundus creatus creditur, ut sentit Concilium Palæstinum sub Victore, anno 193. tametsi provinciale tantum, additque 25. martii die creatum. Recte ergo eodem tempore et die mundus recreatur, ut id Conc. habet.

Tertio, in novilunio, teste Florido, lib. de passionis die, quia ut in novilunio sol conjungitur lunæ, sic eo temporis articulo, Christus sol justitiæ, lunæ, id est, Mariæ per carnis assumptionem se conjunxit. Unde S. Bernard. in serm. de virgin. ait, tunc amicta sole fuisse Mariam, quando concepit Christum. Et sicut tunc luna ob præsentiam solis obscurata est : sic Maria, cum Christus ejus uterum jamjam ingredi vellet, ipsa profundissime se humiliavit, dicens : *Ecce ancilla Domini.*

Quarto, in martio, quia hic primus mundi mensis fuit, ut diximus, recte ergo in eodem mundo recreari cœpit. Quinto, die Veneris, probabilius ; ut sic eodem die formaretur novus Adam, quo formatus ille vetus fuit. Et sicut prior ille eodem die creationis suæ peccavit et electus a paradiso est : ita Christus eodem die reparationis nostræ initium fecit, cum in eo conceptus, et finem, cum in eo passus est.

II. Per quem facta est? Resp. per angelum Gabrielem quidem primo, quia tantum matrimonium tantus decebat paranympus, ut ex dignitate legati, dignitas mittentis colligetur.

Secundo, quia angeli mali opera et instigatione genus humanum cecidit, interveniente colloquio

inter colubrum illum tortuosum et Evam, decuit ergo ut angeli boni opera et hortatu idipsum repararetur, adhibito etiam colloquio cum Maria. Quare uti infernus olim motus est ad interitum nobis offerendum, malum mittendo angelum, qui Evam in paradiso circumveniret, ita cœlum etiam motum ad salutem nobis reddendam, mittendo angelum bonum, qui Mariam saluaret, eique rationem aperiret, qua per Dei potentiam mater et virgo esse posset.

Tertio, quia talis nuntius decebat talem virginem, mox futuram Dei Matrem. Unde Hieronymus, in serm. de assumpt. (si tamen auctor est) ait: « Bene angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas, profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. » Sic ille.

Quarto, quia angelorum ruina mediante incarnatione restauranda erat, et deinceps major amicitia et necessitudo inter homines et angelos scienda, propter eandem incarnationem, quia humanum genus exaltatum est modo aliquo super angelos. Hinc secuta tot lætissima angelorum nuntia ad solatium nostrum, in nativitate, in morte Herodis, in resurrectione, in ascensione Christi.

Per Gabrielem vero, quia idem Gabriel fuit, qui olim Danieli tempus incarnationis futuræ exposuit, Dan. IX. Consonat huic negotio nomen Gabriel, quod Deum et hominem significat, (si Proclo episcopo credimus) nuntiabat enim Deum futurum hominem. Secundum alios sonat fortitudo Dei, et hoc etiam apposite; est enim opus incarnationis, opus fortitudinis divinæ. Quanta enim Dei fortitudine opus erat, ut virgo pareret, immensus in utero virginis conderetur, in duabus naturis una persona fieret, etc.

III. Quorsum facta est? In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. In civitatem primo, quia tunc incipiebat homo ab agro ad civitatem, id est, ab agresti et inculta ad cultiorem et politiores vitam revocari.

Secundo, quia venit conversari cum hominibus, quorum major est frequentia in civitate. Medici non solent habitare in pagis, sed civitatibus, quia ibi major medendi occasio et campus latior: Christus ad nos de cœlo venit tamquam medicus noster. In Galilæam primo, quia Galilæa sonat confinium, eratque confinis terræ gentilium, quo indicetur finem legis Mosaicæ tunc fuisse: terminus erat Christus. Erat autem ex Galilæa gentium, quia in ea gentes Judæis permixti habitabant, ut indicetur Christum venisse ad utriusque populi redemptionem, et unionem faciendam.

Tertio, quia Galilæa erat vilissima pars terræ Hebræorum, et vilia incultaque oppida habuit, ideoque Hiram regi Tyri donata a Salomone non placuerunt, unde et terram Chabul vocavit, id est, vilem et ignobilem, III. Reg. IX. Atque idcirco Judæi et Julianus vocarunt Christianos Galilæos. Sed quod non placuit regi terreno, placuit Regi cœlesti, qui quæ contemptibilia sunt elegit, et luce divinitatis suæ illustravit, uti prædixit Isaias, c. IX. et impletum esse scribit Matth. c. IX.

In Nazareth primo, quia juxta communem sententiam exponitur florida, a radice noster, id est, flos. Nazareth a Christo in ea concepto florida, dici debet, quia Christus est ille flos, de quo Isaias, c. XI. prædixit: *Egredietur virga* (id est Maria) *de radice* (id est, familia jam quasi emortua et succissa) *Jesse et flos*, (Hebr. noster, Christus scilicet), *de radice ejus ascendet*. Hieronymus vertit: *Et Nazarenus de radice ejus crescit*: Chaldaeus: *Egredietur rex de filiis Jesse et Christus de filiis filiorum ejus ungetur*. Merito autem Christus dicitur flos, qui: *Factorem mundanæ collusionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit*, inquit S. Ambros. lib. de benedict. patriarch. c. IV. Item quia ipse floridam fecit civitatem Nazareth, imo mundum totum, et ver novum attulit tandiu a patribus expectatum, cap. VII. *Videamus si floruit vinea*: et Cant. II. *Flores apparuerunt in terra nostra*: tertio: *Quia sicut flos de flore sine mixture, de matre salvo virginitatis decore processit*, inquit Albertus M. super *Missus est*, cap. XXXIII.

Secundo, quia Nazareth civitas parva, obscura, et contempta erat; unde Nathanael ad Philippum dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Joann. I. quia videlicet neque reges, neque prophetas, neque alios viros illustres unquam protulisset. Christus autem venit in hunc mundum, non ut regnaret, sed ut serviret, et per contemptum et crucem ad gloriam ascenderet, nosque per eandem viam ad gloriam suam alliceret et duceret.

IV. A quem facta est? *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph*. Ad virginem primo, ne Christus duos haberet patres, quod turpe videri poterat. Ergo sicut in cœlo habebat Patrem sine matre, sic dicebat ut in terris haberet matrem sine patre. Decebat etiam Deum nova, insolita, propria et sublimis generatio, qualis est ex virgine.

Secundo, ut quartus et ultimus modus generationis divinæ potentiae subjectus ostenderet. Primus, in Adamo, qui nec patrem habuit nec matrem: secundus in Eva, quæ patrem habuit sine matre: tertius, in cæteris hominibus, qui patrem habent et matrem: quartus est Chri-

tus, qui matrem in terris habuit sine patre terreno.

Tertio, quia hujusmodi conceptus, miraculosus videlicet et simul purissimus, decebat Dei Filium, qui omnes homines erat purificaturus, et ex hominibus velut angelos effecturus.

Quarto, ne contraheret peccati originalis obligationem, qui venerat tollere peccata mundi. Nam si vulgari modo conceptus fuisset, licet a peccato originali præservatus fuisset, sicut Beata Virgo, subjacisset tamen aliquando obligationi contrahendi peccatum, quod non decebat Dei Filium.

Quinto: *Ut significaret membra sua de virgine Ecclesia, secundum spiritum nascitura*, inquit S. Augustinus, l. de virg. c. VI.

Sexto, ut pulcherrimam illam virtutem, virginitatem extolleret olim despectam, et commoderet nobis, seque et matrem suam exemplum ejus proponeret imitandum.

Ad desponsatam, primo, ne adultera putaretur ab iis, quibus hoc mysterium occultum erat, et tamquam adultera lapidaretur. Maluit ergo Christus videri ex matrimonio natus, quam matrem sua causa quidpiam mali pati. *Nec decuit*, inquit S. Ambros. lib. II. in Luc. *sinistra virginibus opinione viventibus, velamen excusationis relinquere, quod infamata mater quoque Domini videretur*.

Secundo, ut habitaret tutorem, et solatium comitis, cum erat fugiendum in Ægyptum aliaque toleranda.

Tertio, ut haberet testem pudicitiae suæ gravissimum fideque dignissimum. Unde S. Bernard. hom. II. super *Missus est*: « Sicut Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est resurrectionis confessor: ita Joseph Mariam sibi desponsando ejus conversationem studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis.

Quarto, ut sic uterque status, virginitatis et matrimonii, per Christum honoraretur et dignificaretur.

Quinto, ut partus mysterium celaretur diabolo: hoc enim modo facilius impediabatur, ne id cognosceret.

Desponsata autem fuit Josepho, qui uti nomine, ita vita quoque representavit Josephum patriarcham, teste S. Bernard. qui hom. II. super *Missus est* ait: « Ille Joseph fraterna ex invidia venditus, et ductus in Ægyptum Christi venditionem præfiguravit; iste Joseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit: ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commiseri; iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, et ipse continens, fideliter

custodivit: illi data est intelligentia in mysteriis somniorum; isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum: ille frumenta servat non sibi, sed omni populo; iste panem vivum e cœlo servandum accepit non sibi, quam toti mundo. » Hæc Bernardus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur turbata B. Virgo ad salutationem angeli? — II. Cur non resalutavit? — III. Cur Christus dicitur sessurus in solio David, etc? — IV. Cur interrogavit B. Virgo, quomodo fit istud? — V. Cur adducitur exemplum Elisabethæ? — VI. Cur Virginis consensus requisitus? — VII. Cur Filius potius carnem assumpsit?

THEMA.

Cogitabat, qualis esset ista salutatio. Luc. I.

Festum hodiernum, auditores, nequaquam minimum est in festis aliis, sed de dignitate cum omnibus certare videtur, quia parens quædam, fons, et origo omnium cæterorum Christi festorum, ut quæ primum Verbi incarnati mysterium demonstrat. Unde huic festo accommodari potest, quod Num. XVIII. dicitur de prima die paschatis: *Dies prima venerabilis et sancta erit*. Hæc enim eadem est dies prima mundi, in qua Deus creavit lucem, scilicet 25. martii æquinoctialis, ut sensit Concilium Palæstinum habitum sub Victore pontifice, præside Theophilo, anno Christi 198. apud Bedam, lib. de æquinoctio verno: (tametsi illius Concilii, utpote particularis tantum, definitiones de fide non sunt.) In qua ergo die mundus creatus, in eadem recreatus est; in qua lux corporea formata est in cœlis vel aeris parte aliqua densiore, in eadem et lux mundi spiritualis formata est in utero virginali: in qua lux a tenebris, et angeli boni a reprobis divisi sunt, in eadem lux nova a veteri, fides ab infidelitate separata est. Nos igitur mysterium, quod hac die peractum est, curiosius intueamur.

I. Cur turbata fuit Maria audita salutatione angeli? Respondetur primo, ex aspectu (Græce enim habetur: *Cum vidisset*) angeli humana et virili specie apparentis; siquidem aspectibus hujusmodi, solitariis præsertim assueta non erat. Unde S. Ambros. lib. II. in Lucam, ait: *Trepidare virginum est, et ad omnes viros ingressum pavere, et omnes viros affatus vereri*.

Secundo, ex sermone angeli, uti expressit S. Lucas, cum videlicet audisset, tanta de se præ-